

294

292

298

288

303

283

343

243

393

193

Ende

Anfang

279

dicitur: fundatur exaltatione universae terrae mons Syon, latera
aquilonis, civitas regis magni. Iacet enim Ierusalem in ejus
aquilonari latere. Et illud: circumdate Syon, et complectimini
eam. Et illud: Quoniam elegit Dominus Syon. Et illud: diligit
Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob. Et id:
Deus salvam faciet Syon. Et illud: Quis dabit ex Syon salu-
tare Israël. Et iterum David in persona sua et Christi dicit:
Ego rex constitutus sum super Syon montem sanctum ejus
praedicans etc., et illud: audivit et laetata est Syon. Et illud:
Esai. (108A) : urbs fortitudines nostrae Syon. Idem: ponet
consolationem lugentibus Syon. Idem: propter Syon non tacebo
etc. Et illud: Syon regnavit Deus tuus. Per Scripturam etiam
crebrius montem Syon ascendere invitamus, ut Esai 2.: venite
ad montem Domini etc., ad quid autem ascendere debemus, dicit:
psallite Domino, qui habitat in Syon. Et illud: venient in Syon
cum laude. Porro Esajas de hoc monte volens aliquid magni
enarrare, Esaj. 2. dicit: erit in novissimis diebus mons domus
Domini in vertice montium. Et elevabitur super colles et fluent
ad eum omnes gentes. Et hoc impletum est, in altissimis mys-
teriis in hoc monte peractis, proper quad ad eum de toto mundo
flunt gentes. Judaei autem circa textum istum miram fatu-
tem et sui erroris obscuritatem involvunt, ex eo probare
conantur, quod Jesus non sit verus Mesias, eo quod mons
Syon in ejus adventu non sit elevatus in verticem montium
super omnes colles. Unde dicunt, quod tempore Messiae
portabit Deus montem Thabor et montem Synai et montem
Carmeli ad locum, ubi est Ierusalem et Ierusalem et illos
tres montes super ponet unum alteri, et in vertice supremi
montis locabit montem Syon. Et quia Christus hoc non fecit,
ideo non est Messias. Sed respondendum est illis miseris
excoecatis, quod illa elevatio montis Syon non est intelligenda
secundum locum, sed secundum excellentiam et gloriam, quia
Christus ibi facturus erat magna mirabilia, ut sacramentorum
institutionem, et Spiritus sancti missionem, et caetera, ut
patuit. Ex omnibus his patet, quod mons Syon est mons
magnae altitudinis et sublimitatis, magnae fortitudinis et firmi-
tatis, magnae plenitudinis et ubertatis, magnae pulchritudinis
et amoenitatis, magnae confidentiae et securitatis, magnae

